Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31655
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

ribus mundi huius. Unde agitur ut ad gloriam quam impius ex peccato assequitur, ei adhuc amplius peccata multiplicentur. Quod bene Baldath exprimit, cum subiungit: Immisit enim in rete pedes suos, et in maculis eius ambulat. Qui pedes in rete mittit, non cum voluerit eicit eos. Sic qui peccatis se deicit, non mox ut voluerit surgit. Et qui in maculis retis ambulat, ambulando se implicat, et cum expediri ad ambulandum nititur, ne ambulet obligatur. Sepe enim contingit ut quis huius mundi delectatione persuasus in eo ad honoris gloriam pertingat, ad desideriorum suorum effectum perveniat, et pervenisse se ad hoc quod expetiit letetur. Sed quia bona mundi non habet et in amore sunt, et plerumque habita vilescunt, et percipiendo discit quam sit vile quod expetiit. Unde revocatus ad mentem exquirit qualiter sine culpa fugiat quod se iam culpa conspicit adeptum, sed ipsa eum dignitas que implicavit tenet, et sine culpis aliis fugere non valet hoc ubi non sine culpa pervenit. Immisit ergo in rete pedes suos, et in maculis eius ambulat, quia cum se expedire nititur, tunc veraciter conspicit quam duris nexibus teneatur. Neque enim vere obligationem nostram cognoscimus, nisi cum evadere nitentes quasi levare pedes conamur. Unde et hanc obligationem apte subiungens sequitur: Tenebitur planta illius laqueo, quia videlicet stringitur finis in peccato. Et quia hostis generis humani cum uniuscuiusque vitam in culpis obligat, ad eius mortem anxius anhelat, recte subiungitur: Et exardescet contra eum sitis. Antiquus quippe noster inimicus cum in peccato vitam illaqueat, sitit ut mortem peccatoris bibat. Quod tamen intelligi et aliter potest. Nam perversa mens cum in peccato venisse se conspicit, quadam cogitationis superficie evadere laqueos peccati querit, sed vel terrores vel opprobria timens eligit in eternum mori quam ad tempus aliquid adversitatis perpeti. Unde totum se viciis deserit, quibus iam semel obligatum se sentit. Cuius ergo usque ad finem in culpa vita constringitur, eius planta laqueo tenetur. Sed quia quo se malis obligatum pensat, eo de suo reditu desperat, ipsa iam sua desperatione acrius ad huius mundi concupiscentias estuat. Fit desideriorum fervor in mente, et peccatis precedentibus irretitus animus ad maiora etiam delicta succenditur. Unde et subditur: Et exardescet contra eum sitis. In eius quippe animo contra eum sitis exardescit, quia quo agere perversa consuevit, eo ad bibenda mala vehementer accenditur. Impio quippe sitire est huius mundi bona concupiscere. Unde et redemptor noster ante pharisei domum hydropicum curat, et cum contra avariciam disputaret scriptum est: Audiebant autem omnia hec pharisei qui erant avari, et deridebant illum. Quid est ergo quod ante domum pharisei hydropicus curatur, nisi quod per